

menta iterari; atque ipſam etiam publicam & ſolemne poenitentiam iterari poſſe, ſi ipſum rigorem diſciplinæ ſeponas, plures fuere circa idem tempus Doctores, qui Unctionem infirmorum iterari poſſe, non ſecus atque Sacramentum Poenitentia, ſuſtinebant; tamen & ipſi fatentur, aliquos dubitare.

Alanus Porretanus De Maximis Theologiæ *lib. 113*. „Sunt qui dicunt de hoc Sacramento, quod iterari non poſſit, ſicut nec Baptiſmus; ſed quia Sacramentum Poenitentia eſt, & poenitentia iterari poſteſt, probabile eſt hoc Sacramentum iterari poſſe.

XXX. Magiſter Sententiarum *lib. 4. Diſtinct. 23*. fatetur, ſuo tempore quaſiſſe ab aliquibus, an hoc Sacramentum iterari poſſet; eo quod Auguſtinus dicat, Sacramentum non iterandum, & Sacramento non faciendam eſſe injuriam; „Sed, ait Magiſter, hoc dicit, ubi agit de Sacramento Baptiſmi, Confirmationis & Ordinationis, quæ nullatenus ſunt repetenda; quia ſemel tantum & non ſæpius datur Baptiſmus, Confirmatio & Ordinatio. Sacramentum vero Altaris & Poenitentia & Conjugii ſæpe iterari videtur, quia ſæpe Sacramentum Corporis percipitur, frequenter poenitentia agitur, conjugium ſæpe contrahitur. Quare ergo Unctio ſimiliter iterari non poſteſt; ſi morbus non revertitur, medicina non iteratur: ſi vero morbus non poſteſt cohiberi, quare medicina debet prohiberi; ſicut oratio iterari poſteſt; ita & Unctio iterari poſteſt videtur.

Guilielmus Altiſſiodoreniſis *lib. 4. Summa tract. 7. cap. 11*. concedit, quod quandocumque invaleſcit morbus, iteranda ſit medicina; & quia ſæpe invaleſcit morbus, ſæpe iteranda eſt Extrema Unctio.

XXXI. S. Thomas in Supplemento *quaſt. 33. art. 1*. reſolvit, iterari poſſe: „quia ſanitas corporis & mentis, quæ eſt effectus hujus Sacramenti, poſteſt amitti, poſtquam fuerit per Sacramenta effecta; ideo hoc Sacramentum ſine ſui injuria poſteſt iterari.

Videtur hic indicare S. Thomæ, Sacramentum hoc iterari poſſe, ſi effectus, id eſt ſanitas corporis, ſemel obſtenta, rursus admittatur, hoc eſt, non eodem morbo durante, ſed alio ſuperveniente.

XXXII. Clarius id dixit Richardus à S. Victore in *IV. Sent. Diſt. 23. a. 11. q. 6*. reſolvens, hoc Sacramentum circa eundem Infirmum, eadem infirmitate, reſpectu ejuſdem infirmitatis ſtatus, iterari non debere. „In eadem infirmitate in numero poſſunt eſſe ſtatus diverſi, in quorum quolibet infirmus eſt in notabili & probabili periculo mortis. Ideo cum Infirmo nullum imprimat effectum indelebilem poſteſt & debet eidem homini pluries conferri, vel pro diverſis infirmitatibus, vel pro ejuſdem infirmitatis diverſis ſtatibus. Hæc ille.

Idiſſum docet Durandus addita hac ratione: „Extrema enim Unctio non ſolum reſpicit infirmitatem abſolute, ſed ſtatum infirmitatis, qui quoties iteratur ſive in eadem infirmitate, ſive in diverſis, poſteſt & Unctio iterari.

Doctores Scholaſtici, qui eos ſequuti ſunt, idem uno quaſi conſenſu tradiderunt.

XXXIII. Synodus Tridentina *ſeſſ. 14. c. 3. de Extrema Unctione* doctrinam de iteranda Unctione amplexa docet, „Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. „An eodem morbo; eodemque infirmitatis ſtatu durante iterari poſſit, Synodus non determinat; cum id à diſciplina pendere leiret.

XXXIV. Interim moderna diſciplina in Synodis ac Ritualibus recentioribus præſcripta, S. Thomæ, atque Scholaſticorum qui ipſum ſequuti ſunt opinioni penè per omnia conformis eſt.

Synodus P. II. Cameracenſis *ſeſſ. 12. cap. 4. ait*: „Nec una ægritudine, etiam ad plures meſes durante, eadem ſæpius conferri debet, quamvis in diverſis ægritudinibus liceat.

Pastorale Mechlinienſe ita habet: „Infirmus periculose decumbens, in una infirmitate, ſemel tantum unguendus eſt, quod ſi poſt ſuſceptam Unctionem convaluerit, quoties poſtea in idem vitæ diſcrimen incidit, toties hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterit.

XXXV. Sed quid ſi Infirmus non quidem omnino convaluerit; ſed moribus ita remiſerit, ut mortis diſcrimen evaſiſſe videatur; at poſt Unctionem ſuſceptam, adhuc eodem morbo durante, quamvis remiſſo, rursus in vitæ diſcrimen relabatur, an Sacra Unctio reiterari poterit? Omnino; quia ſtatus morbi mutatus fuit; & aliud mortis diſcrimen obvenit.

Hunc caſum claris terminis reſolvit Manuale Cameracenſe editum anno 1562: „Animadvertat Sacerdos, adminiſtraturus infirmis Sacramentum Extreme Unctionis, ſæpius iterari poſſe, etiam in eadem infirmitate ad diverſos periculorum caſus, poſt intervalla aliquanti temporis incidentes, quoties videlicet nunc remittente, nunc rursus ingraveſcente periculo mortis imminere creditur.

Et Manuale Eccleſiæ Remenſis (cui olim Eccleſiæ Cameracenſis erat ſuffraganea) quod ex Decreto Concilii Remenſis anno 1585. prodiit, hæc habet: „Denique poſteſt hoc Sacramentum iterari, & quidem in eadem infirmitate, quando quidem quis eſt in articulo mortis, modo ſit caſus diverſus, ut qui in hydropiſi, aut longa febrī, poſtquam evaſit periculum, rursus poſt aliquot meſes de vita periclitatur.

His conſonam apparet Concilium Tridentinum, docens hoc Sacramentum iterari poſſe, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen incidit Infirmi; non requirens, ut id vitæ diſcrimen ex alio planè morbo proveniret.

Synodus Namurcenſis anno 1639. *ſeſſ. 4. cap. 8*. vult ut in eadem ægritudine, etiam ad plures meſes perdurante, nemini hoc Sacramentum ſæpius conferatur; addita tamen hac notanda exceptione: „Nifi peritorum iudicio, ſtatus morbi mutatus fuerit.

XXXVI. Synodus Ipreniſis ſub Rithovio *ſeſſ. 17. cap. 3*. declarat in quacumque gravi infirmitate poſteſt iterari adminiſtrari; ac deinde tamquam conſequens ſubjicit: „Proinde conſuetudinem, ſecundum quam non conſuevit hoc Sacramentum intra annum ſecundo ſuſcipi (etiamſi altera gravis obveniat infirmitas) tamquam noxiam abrogamus.

Plura diverſarum Eccleſiarum Manualia ſæculo præterito evulgata præſcribent, non poſſe hoc Sacramentum reiterari pro eadem infirmitate, etiamſi intra annum ſtatus ejuſdem ægritudinis varius eſſe queat; atque ſæpius in mortis diſcrimen incidere poſſit Infirmus.

XXXVII. Hinc patet, quod quæ circa reiterationem hujus Sacramenti variis temporibus & in variis Eccleſiis ſtatuta & ſervata ſunt, magis ad diſciplinam; quam ad dogma aut eſſentiam Sacramenti pertinere.

Hoc imprimis ſatis innuebant illi, qui ſacram Unctionem reiterari non poſſe contendebant eo titulo, quod eſſet Sacramentum Poenitentia publica; ac per conſequens, ſicut rigor Canonicus hanc iterari non permittebat, ita nec illam eſſe iterandum.

Ad hæc plures Synodi & libri Rituales vetantes reiterationem in eadem infirmitate hanc reddunt rationem ad diſciplinam, non dogma ſpectantem: „Ne Sacramentum illud vileſcat. Ita legitur in Statutis Synodalibus Archiepiſcopatus Senonenſis anno 1524. evulgatis, & Epicoſopatus Carnotenſis evulgatis anno 1526. & recitantur à Lanojo *pag. 360. & 361.*

XXXVIII.

XXXVIII. In his itaque unusquiſque Eccleſiæ ſua legem & conſuetudinem ſequi debet; aliàs ſi diſciplina non obſtaret, abſurdum non eſſet, pluries in eadem etiam infirmitate eodemque infirmitatis ſtatu hoc Sacramentum, juxta antiquam Eccleſiæ Latinæ, & hodiernum Græcorum morem conferre; quia (uti notat Hugo Menardus loco citato) „non ceſſante morbo, homine adhuc exiſtente in peccatis; ob peccata ſaltem venialia, quæ nobis quotidie obrepunt, quia „ſepties in die cadit juſtus, jure poſſet hoc Sacramentum ſæpius in eodem morbo repeti, ipſis cauſis ma-

„nentibus ipſum Sacramentum conferri ſolet.

XXXIX. Ex his diſcat Parochus, ab iteratione hujus Sacramenti ſe non debere ſcrupuloſè abſtinere ob periculum nullitatis Sacramenti; ſed dumtaxat, ne in diſciplinam jam ſtabilitam impingat: adeoque ſi dubium ſit, num forſan morbi ſtatus ita fuerit mutatus, ut etiam juxta modernam diſciplinam reiterari queat, magis pro reiteratione inclinandum, eo quod hæc reiterationo conformior ſit veteri Eccleſiæ conſuetudini, tum quod per eam novum ipſi infirmo ſubſidium ſpirituale ſperari poſſit.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Materia & Forma hujus Sacramenti.

1. Plures in Eccleſia dari Ordines etiam minores deſinit Synodus Tridentina.
2. Ordo verum eſt Sacramentum.
3. Quomodo deſinitio Synodi Tridentina verificetur quo ad Ordines minores?
4. Ordines quatuor minores non ſemper, nec ubique notati fuerunt.
5. Non ſunt immediate & proprie à Chriſto inſtituti.
6. Non habent rationem Sacramenti; nec id Tridentina Synodus deſinit.
7. Materia Ordinis ex Decreto Eugenii IV.
8. Eugenii mens non fuit eſſentiales & plane neceſſarias formas & materias aſſignare.
9. Traditio inſtrumentorum in Ordinatione Presbyteri apud Græcos incognita.
10. Neque ſemper à Latinis adhibita.
11. Idem dicendum de traditione Evangelii in Ordinatione Diaconi.
12. Verba quibus ſit traditio inſtrumentorum non poſteſt dici forma plane neceſſaria.
13. Traditio inſtrumentorum primitus poſt Ordinationem facta fuit; & quare?
14. In collatione Ordinum minorum traditio inſtrumentorum cuius facta, quam in collatione majorum.
15. Quæ hodie pro forma & materia præſcribuntur, exactè obſervanda.
16. Certum non eſt, an Eccleſia non poſſit aliquid requirere ut eſſentiale, quod olim eſſentiale non fuit.
17. Unctio in Ordinatione eſt tantum ceremonialis; nec ſemper fuit adhibita.

I. Synodus Tridentina *ſeſſ. 23. Can. 2. De Sacramento Ordinis* ait: „Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines & Majores & Minores, per quos veluti per gradus quodam in Sacerdotium tendatur, anathema ſit.

II. Deinde *Canone 3*: „Si quis dixerit, Ordinem, ſive Sacram ordinationem, non eſſe verè & proprie Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum vel eſſe ſigmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitiis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligenda miniſtros Verbi Dei & Sacramentorum, anathema ſit.

III. Quod hic Synodus deſinit, præter Sacerdotium

eſſe in Eccleſia alios Ordines & Majores & Minores; quo ad Majores ſemper verificatum fuit in Ordine Diaconatus, quem Majoribus Ordinibus, tam Latina quam Orientalis Eccleſia ſemper annumeravit; at quo ad Ordinem Subdiaconatus, verum quidem erat tempore conditi hujus Canonis, ſaltem in Eccleſia Latina, eo quod hæc & Subdiaconatum Majoribus & Sacris Ordinibus jam à quatuor ut minus ſæculis annumeraret; tamen & Eccleſia Latina primis circiter decem aut undecim ſæculis inter Minores Ordines quemadmodum hodie Eccleſia Græca habuiſſet Subdiaconatum; uti oſtenſum eſt ſupra *parte 1. tit. 1. cap. 3*.

IV. Tempore conditi Canonis præter Sacerdotium & alios Majores Ordines, fuiſſe in Eccleſia Latina quatuor Minores receptos notorium eſt; licet in Eccleſia Græca unus ſolus ex illis quatuor, nimirum *Leſtoratus* notus ſit; uti annotat Morinus De SS. Ordinat. *parte 3. Exercit. 11. cap. 1*, & ſuſius probat *Exercit. 14. cap. 1*. numquam tres illos Minores Ordines apud Græcos collatos, aut Ordinibus fuiſſe annumeratos.

Oſtendit præterea Morinus citata *Exercit. 11. etiam* in quibuſdam Eccleſiis Latinis aliquando pauciores, aliquando plures Ordines Minores collatos fuiſſe; imò olim apud Latinos, ſaltem in aliquibus Eccleſiis non ſecus ac hodie apud Græcos, Cantorum ſeu *Psalmiſtarum* fuiſſe Ordinem Minorem; uti & Poſſariorum (qui mortuorum corpora curabant) Ordinem olim in quibuſdam Eccleſiis celebrem fuiſſe; qui tamen à multis ſæculis deſiit.

V. Ex his concludit Morinus poſt antiquos Scholaſticos, Subdiaconatum atque Minores Ordines non eſſe à Chriſto neque ab Apoſtolis immediate inſtitutos; ſed ab Eccleſia, creſcente Fidelium multitudine pro locorum & temporum neceſſitate & opportunitate eſſe conſtitutos: quamvis tamen non diſtineatur, eos eatenus poſſe dici juris divini, aut inſtitutionis Apoſtolice, in quantum illi Minores Ordines eminenter & formaliter in Diaconatu continebantur; atque Eccleſiam poſtmodum creſcente Fidelium & Miniſtrorum numero de Diaconatu eduxiſſe; cumque primitus Diaconi omnia munia illa obirent, poſtmodum eorum quædam ſpecialibus Miniſtris delegaſſe.

Illud paucis verbis expreſſit Gratianus *Diſt. 21*. „Levitas autem ab Apoſtolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus, Subdiaconos & Ancuthos procedente tempore Eccleſia ſibi conſtituit.

VI. Minores Ordines cum nec à Chriſto, nec ab Apoſtolis primitus fuerint inſtituti, illos quoque nec Sacramenta eſſe nec rationem Sacramenti habere poſſe, concludit Morinus.

Neque

Neque id refragatur allegato *Canon* 3. Synodi Tridentinae; quia veritas hujus Canonis sublevis, tamen, etiam solus *Presbyteratus* esset Sacramentum & rationem Sacramenti haberet; quia tunc etiam verum esset, quod Ordo sive Sacra Ordinatio esset verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum; & consequenter, contrarium asserentes meritò damnarentur; uti in dicto Canone damnantur.

VII. Quæ verò sit hujus Sacramenti materia aut forma, Synodus Tridentina non expressit; at Eugenius IV. in Decreto pro Armenis de hodie Sacramento loquens, ait: "Cujus materia est illud per cuius traditionem, nem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicem cum vino, & patenæ cum pane porrectio, nem. Diaconatus verò per libri Evangeliorum donationem. Subdiaconatus verò per calicem vacui cum patena vacua superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro visis & mortuis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & sic de aliorum Ordinum formis prout in Pontificali Romano latè continentur.

VIII. Hic rursus in memoriam revocandum, quod supra tit. 3. cap. 4. num. 10. ex Francisco Farvacquo monui, quod Eugenii IV. in hoc Decreto seu Instructione mens non fuerit, *essentialem* & à Christo institutas materias & formas Sacramentorum assignare; sed ad summum, formas & materias ordinarias in Ecclesia Latina tunc usitatas; ut hac instructione Armeni de ritu Ecclesiæ essent instructi.

IX. Sane traditionem illam instrumentorum, cuius meminit Eugenius non posse dici materiam *essentialem* Ordinum; ita ut sine illa nunquam potuissent, aut etiamnum hodie possent validè Ordines conferri, evidenter, ut apparet, evincit Morinus, idque duobus potissimum argumentis.

Primo quidem ex ritu quem Ecclesia Græca semper servavit & hodie servat. Certum est, Ecclesiam Latinam, Presbyteros Græcos, ritu Græcorum ordinatos, semper habuisse, & hodie habere pro legitime & validè Ordinis Presbyteris; atque Sacerdotium ab ipsis eo ritu collatum, ut verè & propriè dictum Sacramentum.

Certum autem est; apud Græcos in Ordinatione Presbyterorum semper fuisse, & hæcenus esse incognitam illam instrumentorum traditionem in Decreto Eugenio expressam, uti ex eorum Ritualibus antiquioribus & recentioribus; nec non Auctoribus qui de ritu Græcorum scripserunt, manifestum est.

Ex quibus per evidentem consequentiam deducitur, hanc instrumentorum traditionem non posse dici materiam *essentialem* à Christo institutam, ita ut ex Christi institutione validitas Sacramenti ab ea dependeret.

X. Alterum argumentum non minus concludens suppediat pristinus Ecclesiæ Latinæ sacrarum Ordinationum ritus. Si enim consulantur Rituales libri Ecclesiæ Latinæ; itemque Authores qui ante sæculum decimum scripserunt, atque ritum Ordinationum apud Latinos tunc usitatum exactissimè descripserunt, videbitur, nullam tunc temporis in Ordinatione Presbyterorum traditionem instrumentorum intervenisse; cum nullum istius traditionis vestigium occurrat. Argumentum ut apparet, evidens, hanc traditionem, materiam *essentialem* hujus Sacramenti tunc reputatam non fuisse; cuius nec in Ritualibus, nec in exactioribus Rituum descriptionibus mentio fit. Alia nonnulla positiva argumenta, quibus ostenditur multis sæculis, etiam apud Latinos in Ordinatione Presbyterorum incognitam fuisse instrumentorum traditionem hodie usitatam, & ab Eugenio tamquam *materiam* hujus Sa-

cramenti expressam, allegat Morinus loco citato.

XI. Quod de traditione instrumentorum in ordinatione Presbyterorum dictum est, idem de traditione libri Evangeliorum in ordinatione Diaconorum (quam similiter pro materia hujus Ordinis assignat Eugenius) dicendum est.

Observat etiam Morinus *Exercit. 9. c. 1. n. 4.* quod antiqui omnes Rituales nongentorum annorum spatio scripti, nec Dalmaticæ, nec *traditionis Evangeliorum* mentionem faciant. "Vix sexcenti sunt anni (inquit) cum, in ordinatione Diaconi *Evangelium* tradi ceptum est.

Ad hæc, Ecclesia Græca traditione hac in Ordinatione Diaconi nec olim ula fuit, nec hodie utitur; & tamen nemo de validitate Ordinis Diaconatus ritu Græcorum à Græcis collati dubitat; eamque etiam Ecclesia Romana ut validam & legitimam agnoscit.

XII. Eisdem argumentis, quibus ostenditur, traditionem instrumentorum neque Presbyteratus, neque Diaconatus materiam *essentialem* à Christo institutam constituere posse, evincitur quoque, verba, quibus instrumenta illa hodie traduntur, non posse dici *formam* *essentialem* horum Ordinum; quandoquidem æquè certum sit, illa verba non fuisse adhibita; nec hodie adhiberi in illis Ecclesiis quæ instrumentorum traditionem vel olim non agnoverunt, vel etiam nec hodie agnoscunt: quia verba illa tantummodo ipsi traditioni instrumentorum, tamquam quædam formulæ, subveniunt.

XIII. Videtur primitus hæc instrumentorum traditio facta fuisse post Ordinationem, ut hac traditione indicaretur, quid vi Ordinationis susceptæ ipsis Ordinatus agendum esset.

Hugo à Sancto Victore, qui à sexcentis circiter annis scripsit, *lib. 2. de Sacram. fidei parte 3. cap. 12.* De Presbyteris ait: scripsit, *l. 2. de Sacram. fidei parte 3. c. 12.* De Presbyteris ait: *Accipiunt & calicem cum vino & patenam cum hostiis de manu Episcopi.* Rationem subiungit: *Quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant, placabiles Deo hostias offerendi.*

Similiter Magister Sententiarum *l. 4. Dist. 24.* cum dixit, quod Presbyteri *accipiant etiam calicem cum hostiis*, eandem rationem reddit: *ut per hoc sciant, se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi.*

XIV. Simili ratione in Ordinatione Subdiaconorum, & collatione Minorum Ordinum *instrumenta* quibus eorum ministerium exprimeretur, potestata fuisse, admodum verisimile; quamquam ritus tradendi instrumenta in horum Ordinum collatione multis sæculis, saltem apud Latinos fuerit usitatus, antequam in Ordinatione Presbyterorum aut Diaconorum esset notus; uti ostendit Morinus *Exercit. 11. cap. 5.* ibidem inquitens hujus moris diversitatem; unà monens, nec in Subdiaconatus, nec Minorum Ordinum collatione in Ecclesia Græca, traditionem instrumentorum unquam factam esse; sed hos Ordines, non secus ac Presbyteratum & Diaconatum, per *impositionem manuum* fuisse collatos.

XV. Quamvis autem hæcenus dicta abundè evincant, traditionem instrumentorum non posse dici *formam* *essentialem* Ordinum; ita ut illa semper fuisset necessaria, aut nunquam ubiq; ita requireretur, ut defectu illius Ordo *invalidè* censeretur collatus, tamen in his omnibus cum omni exactitudine servanda sunt singularum Ecclesiarum Ritualia; nec quidquam omittendum, eo prætextu quod illud ceremoniale dumtaxat videatur; præsertim, quod licet satis constet, traditionem *Instrumentorum*, & verba ei respondentia, aliæque reciter in Ordinum collatione adhibita non posse dici semper fuisse materias aut formas *essentiales* à Christo institutas; tamen certum non sit, an postquam ab Ecclesia communiter præscripta sunt, & recepta cum reliquis

liquis quæ antiquitus semper adhibita sunt, non constituent *nunc* materiam & formam *essentialem*, à qua validitas Ordinis dependeat.

XVI. "Quamobrem enim (ait Morinus *Exercit. 7. cap. 6. num. 2.*) non poterit Ecclesia Sacramento Ordinis, ut sæpe fecit Sacramento Matrimonii, novas pro materia & forma conditiones apponere, quarum prævaricatio Sacramentum reddat irritum & nullum: cum Christus nullam materiam aut formam hujus Sacramenti, non secus ac Matrimonii in specie definiaverit.

XVII. De Unctione in Ordinatione Episcoporum & Presbyterorum adhiberi solità ait Synodus Tridentina *Can. 5.* "Si quis dixerit Sanctam Unctionem, quæ Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemendam & perniciosam esse, similiter & alias Ordinis ceremonias, anathema sit.

Hic à Synodo, Unctionem inter ceremonias reponi factis evidens est. Et meritò; nam eam nec in Episcoporum nec Presbyterorum Ordinatione unquam adhibuit Ecclesia Græca, & Ecclesia Latina, præsertim in Ordinatione Presbyterorum non semper adhibuit; imò plures Ecclesiæ satis serò eam admiserunt; uti ostendit Morinus *De SS. Ordinat. Exercit. 6. cap. 1. §. 2.*

CAPUT II.

A quo Ordines recipiendi.

1. Semper Ordinum collatio Episcopo delata.
2. Jus hoc Episcopus Patres uno consensu tribuerunt.
3. Eugenius IV. & Synodus Tridentina Episcopum Ordinationis ministrum dixerunt.
4. Id de ordinaria potestate intelligendum; non de extraordinaria seu delegata.
5. Episcopi jus ordinationis ultra suas Dioceses extendere non possunt.
6. Episcopus olim alienum Clericum ordinare non poterat titulo originis aut domicili.
7. Titulus originis aut domicili olim vix attendebatur.
8. Unicus pene titulus Ordinationis erat alicujus in Clerum adscriptio.
9. Hodie Beneficium Clericum Ecclesiæ adstringit, uti olim Ordinario.
10. Ratione Beneficii hodie quis ab Episcopo ordinari potest.
11. Clericus Beneficiatus hodie, secus ac olim, triplici titulo, Beneficii, Originis & Domicilii, ordinari potest.
12. Triplex hic titulus probatus per Decretalem Beneficii VIII.
13. Episcopus originis idem est qui nativitas.
14. Non attenditur origo seu nativitas paterna; sed propria Ordinandis.
15. Quis Episcopus Domicilii; & olim hic titulus patrum notus.
16. Quando quis Domicilium habere censetur?
17. Commoratio longi temporis in aliquo loco non sufficit.
18. Exemplum in Academiis.
19. Aliquando quis dicitur habere domicilium sufficiens ad suscipienda aliqua Sacramenta, & non ad suscipiendos Ordines.
20. Ordinariè potior habenda ratio originis, quam domicili; & quare?
21. Decretum S. Caroli ad præveniendam fictam domicili electionem.
22. Ratione Beneficii dicitur proprius Episcopus in cuius Diocesi est situm, licet alius sit Collator.
23. Indifferens est, quale sit Beneficium; modo veri Beneficium situr. Eccl. P. II.

nefici rationem habeat.

24. Licet non sufficiat in proventibus pro titulo Ordinationis.
25. Si plura in diversis Diocesis possideat, poterit à diversis ordinari.
26. Beneficium impetratum ad subterfugiendum examen proprii Episcopi non sufficit.
27. Episcopi in Gallia optant solum Episcopum Originis pro Ordinatione Ordinarium reputari; & quare?
28. An hoc Episcoporum votum laudandum?
29. Aliquando convenit, Clericum ab Episcopo Beneficium ordinari.
30. Quocumque titulo quis sit proprius Episcopus, potest etiam dare Dimissoriales.
31. Noluit Synodus Tridentina, ut Episcopi alienos subditos ordinarent; sed quo titulo constituatur proprius non definiuit.
32. Episcopi Titulares hoc Decretum violabant; & quomodo occursum?
33. Ex Decreto Synodi Trid. nullus ordinari potest, nisi à proprio Episcopo.
34. Id etiam procedit quo ad primam Tonsuram.
35. Nullus potest ordinari vigore rescripti Apostolici nisi Ordinarius sui testimonio commendatus.
36. Etiam Regulares à proprio Episcopo ordinandi.
37. Bulla Pii V. contrarium insinuans ad terminos Concilii Tridentini reducta.
38. Regularium Superiores debent suos mittere pro Ordinibus suscipiendis ad proprium Episcopum; & quis habendus eorum proprius?
39. Quomodo nonnunquam hic fraus committatur.
40. Possunt ad alium mittere se proprius non ordinet; & que hic cautio adhibenda?
41. Qua fraudes hic possint intervenire.
42. Que mala ex hujusmodi fraudibus timenda.
43. Decretum Innocentii XII. circa Ordinationes.



I. Primis Ecclesiæ sæculis, tam apud Latinos, quam Græcos, ut ordinarium hujus Sacramenti ministrum habitum fuisset Episcopum, manifestum est ex Canonibus & Patribus; qui ubi de Ordinatione, præsertim Presbyterorum ac Diaconorum, loquuntur, ejus ministrum non nisi Episcopum agnoscunt.

II. Et quidem S. Epiphanius Acrium Hereticis annuntians, quod Episcopos ad eandem cum Presbyteris sortem redigeret, atque æquè his ac illis ordinandi jus vindicaret; errorem illum *soliditatis* arguit, eo præcipue titulo, quod Episcopalis ordo Patres Ecclesiæ generet per Ordinationem; Presbyteralis Filios dumtaxat Ecclesiæ per Baptismum; ac deinde hos Ordines ita inter se comparat; "Siquidem unus Ordo (Episcopalis) ad gignendos Patres præcipue pertinet: hujus enim est, Patrum in Ecclesia præpagatio: Alter, cum Patres non possit, Filios Ecclesiæ, lotionis generatione produxit, non tamen Patres aut Magistratos Hæresi 56. aliàs 77. num. 3. & 4.

Has prærogativas unanimi consensu Patres passim Episcopali Ordini tribuunt; & quidem nonnulli ita loquuntur, quasi hoc solo jure Episcopi Presbyteris eminent: *Sola quippe ordinatione illi (Episcopi) sunt, atque hoc tantum plusquam Presbyteri habere videntur*, ait Chrysostomus *Homil. 11. in epist. 1. ad Timoth.* Et Hieronymus *epist. 85. ad Evagrium: Quid facit Episcopus, excepta Ordinatione, quod Presbyter non faciat?*

Quamquam sciam etiam alias prærogativas Episcopis supra Presbyteros competere, ac olim competisse; ac citata Patrum dicta commoda interpretatione mollienda: nihilominus hæc vincunt, Patribus indubitatum fuisse, Ordinationem Episcopis propriam esse.

Mm

III. Re-